

ejus, juxta doctrinam D. Thom., 2. 2, q. 186, art. 7, ad 1; et ideo quandiu habitus retinetur cum intentione redeundi ad claustrum, seu ad obedientiam Prælatorum, non censi ali-quem permanentem reliquisse religionem, quia semper exterius profitetur illam, et reditum ad usum ejus. Quando autem exiit habitum, ut ita durabiliter vivat, censetur simpliciter exuere religionem quoad exteriorem statum, etiamsi retineat animum redeundi. Secundo, et fortasse verius, respondetur negando assumptum, nam etiam retento habitu potest committi apostasia per notabilem moram in seculo extra omnem obedientiam, ut capite sequenti in quodam dubio explicabimus; in secundo autem puncto superiori, solum de fuga quasi in transitu quodam, licet gravi et peccaminoso, locuti sumus.

25. *Difficultas orta ex sententia tradita num. 21 et 22.* — Rationes autem factæ pro altera parte probant sufficienter resolutionem positam, pariunt vero aliam difficultatem, quando, scilicet, judicanda sit mora sufficiens ad apostasiam post dimissum habitum, et quæ sufficiat ad excommunicationem incurrendam, et non ad apostasiam; nam si hæc non distinguuntur per intentionem manendi vel non manendi perpetuo in sæculo, difficile videtur ea distinguere per majorem vel minorem temporis moram. In qua re imprimis assero aliquam esse dimissionem habitus, etiam post temerarium egressum, quæ non sufficit ad excommunicationem incurrendam, ut est in exemplo Navarri dimissio habitus solum ad exercendum aliquem actum turpem. Idemque est si fiat dimissio solum ad se occultandum in aliqua occasione ne capiatur, dummodo fiat animo statim resumendi illum, quia tunc non censetur temeraria dimissio, ut sentit etiam Cajetanus, verb. *Apostasia*, et latius explicui in tomo de Censuris. Deinde dico fugam vel exitum temerarium secundum cum dimissione habitus ad evagandum, etiam per breve tempus, esse peccatum mortale cum excommunicatione annexa ipso facto, juxta cap. 2, Ne cleric. vel monach., in 6, et quæ circa illud notavimus in 5 tom. tertiæ p. Denique propter communem sententiam addere possumus, hanc non censi simpliciter apostasiam, quoad alias penas juris, nisi quando quis censetur absolute dimittere tam permanentem habitum, ut censeatur etiam simpliciter dimittere religionem, et hac ratione posse aliquando dimissionem habitus sufficere ad excommunicationem incurrendam, et non ad apostasiam sim-

placiter, propter temporis brevitatem. Quanta autem esse debeat illa temporis mora, quæ ad apostasiam sufficiat, prudentis arbitrio æstimabitur, scilicet, quando tanta est, ut moraliter censeatur mutatio quædam totius status. Neque hoc est inconueniens, quia etiam in ipsa dimissione habitus, ad judicandum quando sufficiat ad incurrendam excommunicationem, necne, utuntur auctores prudentis viri arbitrio, ut videre licet in Sylvestro supra, et in Navar., in Summa, cap. 27, n. 131. Est autem advertendum, an fugitivus dimittens habitum a principio id faciat cum intentione seculariter vivendi per multum tempus, vel cum intentione statim habitum resumendi. Nam in priori casu statim committit apostasiam, quia revera ex tunc dimittit religionem et habitum simpliciter; in alio vero casu non fit statim apostata, propter contrariam rationem; tamen, si postea paulatim differat reassumere habitum per tempus notabile, incipit esse apostata, quando formaliter, aut virtualiter id decreverit, vel voluntarie consummaverit.

De quinto modo peccaminosi discessus.

26. *Hic modus continet apostasiam et pœnas ejus, cum completur per externum actum.* — Quintus gradus hujus mutationis est, quando religiosus deliberato animo relinquendi in perpetuum religiosam vitam fugit, et dimittit habitum, et hic est consummatissimus actus in hoc genere malitiæ; quare certum est esse apostasiam, et qui illud committit, statim in ipso puncto fieri apostatam, et incurrere excommunicationem, et alias pœnas apostatarum. Circa quod primum oportet distinguere apostasiam internam ab externa; illa committitur per solum propositum dimittendi religionem; illa vero non sufficit ad pœnas ecclesiasticas, etiam excommunicationem, neque etiam ad reservationem, ut ex aliis locis suppono. Exterior consistit in ipsa reali dimissione habitus vel religionis.

27. *Quæstiuncula prima circa hunc modum, quando consummetur externus actus.* — *Ante consummationem nec apostasia a Clemente reservatur, nec aliæ pœnæ incurruntur.* — Quæri autem potest quando primum ita exterius consummetur, ut ad censuram et reservationem sufficiat. Hoc videtur nobis declarasse Clemens VIII, in dicto Decreto casuum reservatorum, dicens apostasiam reservari, quando eo percenerit ut extra septa monasterii seu conventus egressio fiat. Igitur quamvis religiosus

mutet habitum, et sæcularem accipiat, et egrediatur cella, et perveniat usque ad septa monasterii, si ibi ad se convertitur, et mutat animum, imo, licet per vim capiatur et detineatur, non est absolute apostata, quia non consummavit actum quem apostasia significat, et ideo casus ille reservatus non est ex vi illius Decreti Clementis; nam ex speciali statuto aliquis religionis reservari posset, quia est sufficienter exterior. Non sufficit etiam ad pœnas in jure latis contra apostatas ut sic, quia hujusmodi pœnæ restringuntur ad actus consummatos, ut diximus latius in materiis de censuris et de legibus. Dixi autem *ut sic*, quia de excommunicatione fortasse est alia ratio, quia non fertur in apostatas, ut sic, propter quod diximus supra, non omnes apostatas illam incurrere; sed fertur in dimittentes habitum religionis suæ, ut constat ex dicto cap. 2, Ne cleric. vel monach., in 6. Hoc autem peccatum satis consummatum est in illo actu. Nihilominus satis probabile existimo etiam excommunicationem tunc non incurrere, quia verba illius textus sunt: *Ne in scholis vel alibi temere habitum suæ religionis dimittant*; ex quibus, juncto principio textus, *ut periculosa religiosi evagandi materia subtrahatur*, valde verisimile fit, sermonem præcipuum Pontificis esse de locis extra monasterium, et illa referri, per illam particulam, *vel alibi*, ac proinde donec quis extra monasterium dimisso habitu existat, non incurrere illam censuram, quem sensum confirmant verba Clementis supra citata; cur enim voluisset peccatum illud non esse reservatum ante exitum extra septa monasterii, si censeret esse sufficiens ad excommunicationem Papalem incurrendam?

28. *Quæstiuncula secunda, quæ sint pœnæ apostasiæ consummatæ.* — *Prima assertio, incurruntur quædam veluti irregularitatem.* — Secundo, quæri potest quænam pœnæ incurrantur propter hanc apostasiam. In quo primum certum est, seclusa excommunicatione, esse annexam apostasiæ, ut sic, quamdam inhabilitatem et quasi irregularitatem ad ordines sacros suscipiendos durante illo statu; ita enim expresse habetur in cap. ult. de Apostatis. In quo imprimis observo hoc impedimentum non esse propriam censuram, quia per solam pœnitentiam et reditum ad pristinum statum tollitur, absque alia absolute, ut colligitur ex illis verbis: *Monachus in apostasia Ordinem sacrum recipiens*: nam ex eis colligitur, esto ponatur apostasia ante ordinationem, eo ipso tolli impedimentum, absque alia absolute

vel dispensatione, quæ est communis intelligentia. Unde etiam fit non esse irregularitatem perpetuam et absolutam, sed esse ex illis quæ per temporis successum, vel rei mutationem ipso facto cessant, ut est illa quæ nascitur ex infamia, vel ex defectu ætatis. Quod secus est de impedimento quod nascitur ex susceptis ordinibus in tali apostasia; nam illud sine dispensatione aut absolute auferris non potest; sed de illo impedimento, quæ non est pœna apostasiæ, sed alterius criminis ordinis male suscepti, non est hic dicendum, sed dictum est in tom. de Censuris, disput. 21, de Suspensione.

29. *Observatio altera.* — Deinde observo vocem illam *monachus*. Nam ex illa colligi potest pœnam hanc non esse communem omnibus religiosiis. Nam in odiosis, non solent sub ea voce comprehendi canonici regulares, argumento cap. *Quod Dei timorem*, de Statu Monach., ubi id notat Panormit., et Navar., Comment. 5, de Regular., n. 4 et 41. Sed nihilominus verior sententia est, legem hanc comprehendere omnes religiosos, etiam canonicos, vel quoscumque clericos regulares. Ratio est, quia tota illa lex habet respectum ad statum religiosum ut sic, et non quantum ad id quod est speciale monachis; ergo licet illud decretum de solis monachis expresse loquatur, de omnibus religiosiis intelligendum est, nam in substantia et perpetuitate status sunt pares. Quod plane confirmat cap. 2 de Postulando, ubi Pontifex declarat canonem prohibentem monachum esse advocatum, comprehendere canonicum regularem, *licet de monachis specialiter in canone sit expressum*, ut ibi dicitur. Et ratio illius declarationis est, quia illa prohibitio facta est intuitu religiosi status; ergo idem est in præsentem, imo etiam in omni simili casu, ut ibi fatetur Panormitanus, et Navar., dicto num. 41, ubi ex communi sententia ait, quando fundamentum canonis tale est, ut in eo æquiparentur secundum jus antiquum monachi et clerici regulares, tum dispositionem etiam odiosam de monachis extendi ad canonicos regulares, quia tunc revera intentio legislatoris est, loqui de religiosiis, licet quasi materialiter nominet *monachos*. Ita vero est in præsentem. Nam apostasia æque damnata est in clericis regularibus ac in monachis, et fundamentum illius legis est obligatio ad religiosum statum, quæ ejusdem substantiæ est in utrisque.

30. *Observatio tertia, de majoribus ordinibus procedere dictam pœnam.* — *An procedat etiam*

de ordine Episcopali. — Tertio expendi potest verbum illud, *aliquem sacrum ordinem*; nam ex illo oritur dubium, an hoc impedimentum extendatur ad ordines minores; nam interdum omnes ordinationes generaliter vocantur sacrae, quatenus sacramentum sunt; propria vero et speciali ratione solum dicuntur ordines sacri, subdiaconatus, et superiores; est ergo dubium quomodo ibi accipiendi sint ordines sacri; tum tamen interpretatio est ibi ordines sacros proprie sumi, tum quia juxta communem usum juris hæc est magis propria significatio; tum etiam quia non oportet legem poenalem ampliari. Unde fit religiosum suscipientem minores ordines in statu apostasiæ non manere suspensum quoad usum talis ordinis, et consequenter, si apostasiam relinquat, et poenitentiam agat, posse sine nova dispensatione ad superiores ordines ascendere. Scio multos ex Canonistis ibi asserere, ipsum contrahere impedimentum, dispensabile tamen per Episcopum, et in eo textu fieri mentionem sacrorum ordinum solum propter specialem reservationem; sed illud nullo jure probatur, et ideo non est admittendum, ut dixi latius, tom. 5, in tertia parte. Loquimur autem ex vi apostasiæ, ut loquitur ille textus; nam si dimittendo habitum excommunicationem incurrisset, et in eo statu susciperet ordines minores, ratione excommunicationis fieret irregularis; sed illa poena est ex alio generali principio, de quo in eodem 5 tom. Hic vero ulterius potest interrogari, si religiosus apostata esset sacerdos, et in apostasia consecraretur Episcopus, an maneret suspensus ab Episcopali ordine; et est ratio dubii, quia consecratio Episcopi inter sacros ordines non numeratur. De hoc nihil invenio in expositoribus et Summistis; mihi tamen videtur illum manere suspensum ab executione ordinis Episcopalis, tum per argumentum a fortiori, quia plus est consecrari Episcopum, quam ordinari diaconum; tum etiam (et melius) quia consecratio Episcopalis est veluti extensio quædam characteris sacerdotalis, et ideo sub illo comprehenditur in numeratione sacrorum ordinum.

31. *Secunda assertio, excludens alias poenas.* — *Objectioni de poena infamiæ occurritur.* — Secundo principaliter dicendum est, nullam aliam poenam esse ipso jure impositam propter hanc apostasiam. Ita sentiunt Sylvest., Angelus, et alii, verb. *Apostasia*; et ratio est, quia nullo jure invenitur talis poena imposita. Dices, in jure imponi infamiam propter hoc

crimen, c. *Alieni*, 2, q. 7. Respondeo primo verba illius canonis amplissima esse, et extendi ad apostasiam largissime sumptam pro inobedientia ecclesiastica, juxta illa verba: *Aut sacris Patrum regulis et constitutionibus non obedientem.* Potest etiam intelligi de apostatis tam a fide, quam ab Ordine et religione, quæ est communior expositio, et consentanea principio textus: *Alieni erroris socium, vel a sui propositi tramite recedentem.* Postea vero subditur, *infames omnes esse censendos qui suam aut Christianam prævaricantur legem, aut Apostolicam, vel regularem libenter postponunt auctoritatem*; et in hoc sensu recte probatur hæc poena, non tamen ipso facto, neque ante sententiam judicis incurrendam, quia ibi nulla sunt verba quæ talem rigorem indicent. Idemque confirmatur ex cap. *Beatus*, 3, quæst. 4, ubi *apostata refutandus dicitur ante conversionem suam*, scilicet, ab accusatione, vel testimonio; ergo, donec refutetur per judicem tanquam infamis, non incurrit hujusmodi poenam ipso facto; unde Sylvester, explicans hanc poenam in apostasia ab Ordine, solum dicit: Interim ab accusatione et testimonio tanquam infamis repellitur; ergo sentit ante sententiam judicis non incurri hanc poenam. Hoc autem intelligimus de infamia juris; nam si delictum sit publicum, propter ejus gravitatem sufficiat ad infamiam facti, juxta ea quæ de infamia in materia de irregularitate tradidimus.

32. *Quorundam placitum de poenis aliis rejicitur.* — Præter has vero poenas traduntur aliæ a Doctoribus, quæ propter apostasiam ab Ordine incurruntur, quas nonnulli extendunt ad apostasiam a religione; sed ego pro regula constituo, nullam poenam impositam propter apostasiam Ordinis in specie esse extendendam ad apostasiam religionis, nisi in ipsamet lege vel in alia fiat talis extensio, quia in poenali lege, ut talis est, non admittitur talis ampliatio, etiamsi fortasse delictum sit gravius. Nec sufficit similitudo rationis, tum quia requiritur voluntas legislatoris, tum etiam quia illa similitudo nunquam est exacta. In aliis vero poenis non invenitur talis extensio facta in jure, et ideo in eis explicandis non immoror; nam de apostasia ab Ordine, Deo dante, dicitur sumus in 6 tom. tertiæ partis. Tandem advertendum est, hæc omnia intelligi de jure communi, contento, scilicet, in corpore juris; nam extra illud sunt quædam constitutiones Pauli IV et Pii V, ferentes speciales poenas, quas inferius attingemus; sunt etiam in par-

CAP. II. EXPEDIUNTUR ALIQUOT DUBIA CIRCA DOCTRINAM, ETC.

ticularibus religionibus specialia Indulta quæ consulenda sunt, ut de Societate jam dicemus.

CAPUT II.

EXPEDIUNTUR DUBIA QUATUOR CIRCA DOCTRINAM CAPITIS PRÆCEDENTIS.

1. *Primum dubium, an sint apostatæ qui non professi discedunt.* — *Primum pronuntiatum in hoc dubio.* — Supersunt vero hic nonnulla dubia. Primum est, an religiosi non professi per vota solemnia, retrocedendo modis supradictis, fiant veri apostatæ, eorumque poenas incurrant; antiqui enim Doctores partem negantem ut certam supponunt. Nam novitius propterea non fit apostata retrocedendo, quia professionem nondum emisit, ac proinde religiosus non est, c. *Religioso*, § 1, de Sentent. excommuni., in 6. Præterea, quia non dicitur quis simpliciter ingredi religionem donec profiteatur, juxta ea quæ auctores notant in Authentica *Ingressi*, et Authentica *Si qua mulier*, de Sacrosanctis Ecclesiis, per Bartolum, et alios, quos refert Tiraq., de Utroque retractu, tract. 1, § 1, gloss. 8, num. 24; Felinus, cum additione in cap. *Cum deputati*, de Judiciis, num. 2; ergo neque antea potest esse egressio a religione; ergo neque apostasia¹. Ad hoc dubium duo dicenda sunt: primum est, non esse verum apostatam, neque incurrere poenas ejus, nisi qui est verus religiosus. Hoc convincit ratio dubitandi proposita, et hic est sensus communis sententiæ antiquorum Doctorum. Unde infertur, si quis post votum simplex castitatis matrimonium contrahat, non esse apostatam. Item neque illum, qui post tria vota simplicia, paupertatis, castitatis et obedientiæ in seculo emissa, sive in privatum vivendi modum, sive in aliqua communitate, et modo ejus vivendi non approbato ab Ecclesia pro vera religione, ut dicuntur esse feminæ quæ Mantellatæ au Tertiariæ vocantur; neque hunc, inquam, esse apostatam, neque incurrere poenas, etiamsi assumat statum omnibus illis votis repugnantem. Ratio est, quia ille non est religiosus, et ita non retrocedit a statu religioso, in quo ratio hujus apostasiæ consistit.

2. Dices, retrocedere ab obligatione ejusdem rationis; nam hæc est eadem in votis simplicibus et solemnibus, ut supra dixi. Res-

¹ Vide Gregor. Lop., leg. 17, tit. 1, part. 1.

pondeo primum, id nos non tractare speculative, an malitia illorum peccatorum differat specie, necne; satis enim est quod loquendo ecclesiastico more, illa peccata differant quamplurimum in æstimatione, appellatione et punitione, quia unum est longe gravius alio, et quia illud est contra instituta ecclesiastica, et non aliud; ac denique quia unum est multo magis consummatum in sua specie quam aliud. Adde vero illa peccata etiam differre specie quoad aliquam malitiam, nempe in malitia injustitiæ quam committit verus religiosus apostatando a sua religione, propter traditionem illi factam, et ab Ecclesia acceptatam, quam malitiam non incurrit retrocedens ab alio vivendi modo, quantumvis pio, quia in eo non intervenit traditio valida; hæc enim sine Ecclesiæ approbatione esse non potest.

3. *Secundum pronuntiatum.* — Dico secundo, omnes vere religiosos, etiam illos qui tantum simplicia vota emittunt in religione ab Ecclesia approbata ad verum statum religiosum, etiam in illo gradu esse vere apostatas, et incurrere poenas jure communi apostatis impositas, retrocedendo criminose a sua religione. Hæc conclusio est certa, ex declaratione et approbatione Pontificum. Supponitque posse dari verum statum religiosum, cum votis simplicibus, quod esse certum secundum doctrinam Ecclesiæ infra ostendemus, tract. 10, lib. 3, cap. 3. Ex hoc autem principio manifeste infertur assertio posita: nam apostasia est iniqua retrocessio a statu religioso; sed verus status religiosus constitui potest aut per professionem, aut traditionem votis tantum simplicibus confirmatam; ergo etiam potest esse vera apostasia huic statui contraria. Unde Paulus III, in ultima Bulla quam Societati concessit, hujusmodi recedentes a Societate post vota simplicia emissa apostatas vocat, et omnem potestatem superioribus præbet ad eos cogendos et puniendos, quia revera injuriam suæ religioni faciunt, ut statim explicabimus; et Pius IV, ac Pius V, in Bulla *Æquum reputamus*, addunt poenam excommunicationis ipso facto in eosdem apostatas, et ut tales puniendi et cogendi declarantur; et Gregorius XIII, in constitutione *Ascendente Domino*: *Si a Societate (inquit) deficient, excommunicationis et aliis apostatarum poenis sint subjecti*; et infra: *Excommunicationis majoris latæ sententiæ, et aliis apostatarum poenis, si qui a Societate deficient, subjacere, et tanquam veros apostatas puniri posse.* Quæ verba omnem tergiversationem excludunt; nam hos